

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

Philippus de Ossa Societatis Iesu in Prouinciâ Toletanâ Præpositus Prouinciâ-
lis, potestate ad id mihi factâ à R. Admodum Patre nostro Ioanne Paulo Oliua
Præposito Generali, facultatem facio vt liber inscriptus Thesaurus Indicus, duobus
tomis distinctus, Auctore Patre Didaco de Auendaño nostræ Societatis Theologo,
& eiusdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus, typis
mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostrâ subscriptas & sigillo nostro
munitas dedimus. Matrili in nostro imperiali Collegio die decimâ-quintâ De-
cembris, anno Millefimo sexcentesimo sexagesimo quarto.

PHILIPPVS DE OSSA.

APPROBATIO CENSORIS.

Infra scriptus legi librum, cui titulus R. P. Didaci de Auendaño Societatis Iesu
Thesaurus Indicus, cum attestatione R. P. Philippi de Ossa eiusdem Societatis,
Prouinciæ Toletanæ Præpositi Prouincialis, quâ declarat eundem grauium do-
ctorumque hominum iudicio approbatum, typis mandari posse; præsentium te-
nore fidem facio eundem nihil continere quod Fidei Catholicæ aut bonis mori-
bus aduersetur. Datum Antuerpiæ XII. Septembris, anno Domini M. DC.
LXVII.

Aubertus Vanden Eede I. V. L. Protonot. Apostolicus,
Canon. & Archidiaconus. Antwerp. Librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

Carolus Dei gratiâ Hispaniarum Indiarumque, &c. Rex Catholicus, Archi-
dux Austræ, Dux Burgundiæ, Brabantæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps,
diplomate suo sanxit; ne quis librum, cui titulus est R. P. Didaci de Auendaño
Societatis Iesu Thesaurus Indicus, duobus tomis distinctum, citrà Iacobi Meursij
voluntatem, proximis nouem annis imprimat, aut alibi terrarum impressum in
Germaniæ inferioris ditiones importet, venalemue habeat: qui secus faxit, con-
fiscatione librorum & aliâ graui penâ multabitur, vti latius patet in litteris datis
Bruxellæ XVI Decembris anni M. DC. LXVII.

Signat

LOYENS.

THESAURI,
ET INSTRVCTORIS INDICI
TITVLVS PRIMVS.

De Indiarum jure, & Catholicorum Regum obligationi-
bus circa illarum administrationem.

Cum prædictum Ius amplissimæ huius disputationis funda-
mentum sit, ab illo exordium est optimo iure captan-
dum: Vnde pro eo rogat

CAPVT I.

An liceat de jure Indiarum in
Catholicis Regibus dubitare.

§. I.

Negatiua Positio Stabilitur.

N. I.
Card. Bell.



Tat pro illâ id, quod
Cardinalis Bellar-
minus Tractatu de
Potestate Pontificis in
temporalibus, sapien-
ter ostendit, præser-
tim Cap. 3. vbi be-
nè admonet contra
Guilielmum Barcla-
ium, potestatem Pontificis in temporalibus
non esse rem dubiam, neque ab opinionibus
pendere Doctorum. Id enim sacri Canones
variis in locis determinant: pro quo etiam
Diana strenuè & eruditè decertat Parte 1. Tract.
2. Resolut. 122. & 123. Parte 10. Tract. 6. Resolu-
tione unica & Tract. 17. Ac primò ex additis, Resolu-
tionibus præsertim 8. & 9. Vbi plurimos con-
gerit huic dogmati suffragantes. Et vt alia præ-
teream, veritatem istam iqueulenter proban-
dam, & definiendam assumpsit Bonifacius
Octauus in Extrauag. Vnam Sanctam, in qua,
cum de duobus gladiis, spirituali scilicet &
materiali, quibus instructa Ecclesia, elegantem
discursum præmisisset, sic concludit: Porro
subesse Romano Pontifici, omni humana creaturæ,
declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus
omnino esse de necessitate salutis. Sic ille: vbi
sensus est iuxta præmissa; subesse inquam om-
nem humanam creaturam, non solum spiritua-
liter, sed temporaliter: de spirituali enim
dubium non suberat, cum Christus Diuo
Petro omnes oues commiserit; pro quo ibi-
dem Pontifex sic locutus: Dicente Domino ipsi
Petro: Pascie oues meas. Ioan. 21. v. 17. meas inquit
& generaliter, non singulariter, has vel illas: per
quod commississe sibi intelligitur vnuerfas. Ita ille &

Papam ha-
bere pote-
statem in
temporalibus,
dogma
certum.

Diana.

Pontificia
pro eo defi-
nitio.

Duo gladij
& Christo
dati.

Extrav.
Vnam
Sanctam.

Omnes o-
ues com-
misse.

Ioan. 21.
v. 17.

vnde quod specialiter suâ definitione consti-
tuit, ad temporalem pertinet potestatem: ex
quo orta in Rege Franciæ, & regnicolis illa sus-
picio, quam Clemens Quintus suâ Constitu-
tione submouit, declarans per definitionem &
declarationem dictam, nullum Regi & regno
præiudicium generari; neque amplius Pontifi-
ci subiectum, quam ante prædictam declara-
tionem & definitionem. Et meritò quidem:
nam Bonifacius suâ declaratione & definitione,
nouum jus non statuit, sed quod erat Ecclesiæ
proprium, declarauit, & vti Fidei dogma stabi-
liuit. Non ergo major inde in Regibus, &
aliis exorta subiectio, sed quæ diuinitus data
Pontifici, manifestius declarata. Pontifex enim
procedens per viam declarationis, nihil noui
inducit, neque alteri præiudicat: vt obseruat
Marescorus Libro 2. cap. 24. n. 52. Gomecium
allegans id plenius prosequentem.

Ex Bonifa-
cij VIII.
Constitu-
tione non
est noua in-
ducta sub-
iectio.

Nullum ius
declaratio
inducit, ne-
que alteri
præiudicat.

Marescor.

2 Tunc ultra. Virtute huiusmodi pote-
statis non solum Indicæ conquesta facta copia,
sed & amplissima conquestarum & conqui-
residarum Regibus Catholicis à Pontifice in-
dulta largitio, vt ex Bullis constat authenticis:
non ergo licet de illorum jure inter legitimos
Ecclesiæ filios dubitare.

Positio su-
perior ra-
tione moti-
stratur.

Vbi non satisfacit scribentium quorundam
effugium, qui dicunt Catholicis Regibus solum
Euangelicorum ministrorum transmissionem,
& conuertendorum protectionem sollicitam
demandatam, supponendo legitimam aliâs fu-
turam expugnationem, iuxta illa, quæ Docto-
res pro ipsâ honestandâ requirunt. Qui, cum
sic loquuntur, manifestè indicant prælatas se
donationis Bullas minimè perlegisse; ex qui-
bus præcipua, scilicet Alexandri Sexti, die 4.
Maij anni 1493. sic habet: Auctoritate Omni-
potentis Dei nobis in Beato Petro concessâ, ac Vicaria-
rijs IESV Christi, quâ fungimur in terra, cum om-
nibus illarum dominis, ciuitatibus, cast. & locis, &
villis, iuribusque, & iurisdictionibus, ac pertinentijs
vniuersis, vobis, heredibusque & successoribus vestris
(Castelle & Legionis Regibus) in perpetuum reno-
re presentium, donamus, concedimus, & assignamus,
&c. Sic ibi Pontifex; quod in Bulla alia eius-
dem Datæ confirmat, prioris factâ mentione,
cum priuilegiarum auctario, quæ regibus fue-
rant

Eius præ-
clusa de so-
lâ in Ca-
tholicis Re-
gibus pro-
tectione.

Dominium
datum or-
stenditur.

rant Portugallia concessa pro similibus expeditionibus. Repertas, & reperendas in posterum, quae sub actuali dominio temporali aliquorum Dominorum Christianorum constituta non essent, cum omnibus illarum dominis, civitatibus, castris, locis, villis, iurisdictionibus uniuersis, vobis, heredibusque & successoribus vestris (Castella, & Legionis Regibus) in perpetuum motu proprio, & ex certa scientia, atque de Apostolica potestatis plenitudine, donauimus, concessimus & assignauimus. Verba illius sunt.

3 Pro quo & extat Bulla alia eiusdem, anno eodem, sexto Kalendas Octobris, in qua donationem extendit, & roborat, inuestiturae iam factae mentione subiuncta, illis verbis: Vosque, ac haeredes, ac successores praefatos, de illis inuestiuimus &c. Constat autem apud omnes sacrorum Canonum, & Ciuilibus iuris vel medioeriter conscios, quid inuestitura sit, missio scilicet in possessionem, aut titulus ad illam, cui stare debet inuestiens, & inprimis Ecclesia, vt habetur in cap. Per tuas, de donationibus, in quo inuestiti ab Episcopo Florentino nobiles quidam de certo fundo ob quosdam terre modios ex praeepto Pontificis attributos, apud eundem de fraude in mensura adhibita conque- runtur, & sic respondet illis: Nos igitur attendentes, quod Ecclesia in actibus suis fraudem non debet aliquam adhibere; respondemus quod secundum ipsum securè poteris integrare, cum terra illa quatuor modiorum ipsis fuerit assignata. Sic ibi. Quod & praesenti causa conuenienter possumus adaptare: quandoquidem Pontifex Catholicis Regibus noui orbis terras donauit, concessit, assignauit, vt ipse loquitur. Si ergo donatio, concessio & assignatio nulla fuit, merito illi possent, & eorum pariter haeredes poterunt apud Apostolicam Sedem fraudem manifestissimam proclamare.

4 Nec praetereundum id, quod in citata Bulla 2. quae incipit: Eximia deuotionis sinceritas, post adducta verba, in hunc modum habetur: Cum autem alias nonnullis Portugalliae Regibus, qui in partibus Africae, Guineae, & Mierae auri, ac alias insulas etiam ex simili concessione & donatione Apostolica eis facta repererunt & acquisierunt, per Sedem Apostolicam diuersa privilegia &c. Ex hoc enim habemus donatione & inuestituram in terris Indiarum non a solo Alexandro Sexto factam, sed etiam alias a Sede Apostolica diuersis Portugalliae Regibus: vt iterata huiusmodi concessio ius arguat in illa non dubium, sed inuolubili subnixum veritati.

5 Et praedicta quidem verba manifestè conuincunt deceptum Leonardum Coquæum, virum sanè eruditissimum, & optimè de Sede Apostolica meritum, dum in Antimorneo contra progressum 64. pag. 307. ita scribit: Et eodem diplomate Pontifex declarat se nullo modo tollere ius quæsitum alijs principibus Christianis in illas insulas & terras, quos iudicat fuisse iustos dominos, etsi nulla auctoritate Apostolica Sedis illarum dominium adepti fuissent, & Orientalis Indiae &c. Cum enim constet ex concessione & donatione Apostolica praedictas terras & insulas a Christianis Principibus acquisitas; non prius earum veros dominos fuisse apertissime comprobatur. Quod quidem ex non visis Pontifi-

ciis Bullis accedit Auctori praedicto, sicut & alijs, qui propterea minus sunt accurate in causa praesenti locuti. Neque Alexander Sextus concessione aliquam aut donationem viua voce factam a Praedecessoribus, aut scripto firmatam, nobis tamen incognitam, memoratur; extat enim Nicolai Quinti, viri profecto sanctissimi. Ne quispiam Alexandri minus probatam vitæ rationem obiiciat: (quod tamen impertinens ad intentum,) cuius vitia virtutes æquarunt, vt videri potest apud Petrum Opmeerum in opere Chronologico circa annum 1502. Immo & superarunt, vt ostendit Thomas Bozius lib. 7. de signis Ecclesiae, cap. 7. & Calisti Tertij, quæ videri potest apud Dom. Solorzanum Tomo 1. de Indiarum iure lib. 2. cap. 24. n. 29.

6 Hinc est vt Cardinalis Bellarminus, qui lib. 5. de Romano Pontifice cap. 2. s. vltimo, minus conuenienter de praefata Alexandri fuerat donatione locutus, postea in Retractationibus ad eundem librum, ita scribat: pag. 508. Quod attinet ad Bullam Alexandri Sexti de diuisione orbis nuper inuenti, & debellatione Indorum Occidentalium, cum ea scriberem, Bullam non videram, & ideo secutus sum doctrinam Cardinalis Cajetani in 2. 2. q. 66. art. 8. Francisci Victorii in 2. Relectione de iure belli, & Dominici Soto in 4. sent. dist. 5. quæst. vnica art. 10. ad 5. argumentum, tum propter eorum rationes, tum quia Cajetanus vixit tempore Alexandri Sexti, & superuixit: proinde facile scire potuit quid sibi voluerit Alexander Pontifex, cum Orbem recens inuentum diuisit. Sic ille. In cuius discursu id, quod ad Cardinalem Cajetanum spectat, facilem habet solutionem; licet enim tempore Alexandri vixerit; cum tamen praefata illius Bullæ expeditæ sunt, Cardinalis non erat, sed iuuenis annorum 25. mortuus est enim anno 1534. & ætatis 66. vt ipse Cardinalis Bellarminus scribit in suo de Ecclesiasticis Scripturis Tractatu: Bullæ autem anno 1493. prodierunt, vnde clara est computatio. Quid ergo si tunc donationis modum ignorari? Quod autem superuixerit, neque ampliorem fuerit notitiam assecutus, non debet censerit mirabile, cum & Cardinalem ipsum Bellarminum, suo ipsius testimonio, etiam subterfugerit, & diu post scriptos Controversiarum libros comparata. Quod & Scriptori- bus alijs accidisse, nimis est illud eos legentibus exploratum.

7 Prima est dicentium errasse Alexandrum, quod & de Pontificibus alijs ob eandem rationem asserendum. Sic Ioannes Gryphanius Tractatu de Insulis cap. 24. n. 59. & seqq. cuius illa est ratio, Pontificem ciuile mundi dominium non habere, neque vquam habuisse: vnde donatione praedicta veris dominis facta est iniuria, cum de alieno fuerit, quæ tamen est iure Ciuili, & Canonico reprobata l. 12. C. de donationibus, & cap. 26. de Extra. de Decimis.

Et inuesti- tui.

Quid illa vide P. Oñate disp. 117. de Contractibus. Cap. Per tuas.

Fraus non est in Ecclesia actibus.

Donatio Regibus Portugallia a Sede Apostolica facta.

Sine illa nullum in Christianis Principibus dominium, in quo deceptus Coquæus.

Alia Pontificum concessiones.

Alexandri vt. probitas propugnata.

Optimè certus. Bozius. Solorzan.

Card. Bellarminus pro Pontificia donatione militat.

nicum recognoscit: ex quo fit planè Catholicos Reges, pro gratia tali Sedem Apostolicam exorantes, satanico etiam spiritu fuisse permotos, & consequenter tot infidelium conuersionem opus fuisse Satanæ, & ouile Christi beneficio Satanæ innumeris ouibus adauctum. Et quis blasphemiam tantam non horrore ingenti prosequatur?

8 Sed hæc responsio nimis libera est, & legitimo Ecclesiae filio profus indigna, in qua non solus Alexander, sed Pontifices alij, de quibus n. 5. vt inconsiderati, præcipites, & humani ac diuini juris ignari traducuntur. Quod si fas asseruisse fuerit, nihil erit, nihil erit in Canonibus Sacris & Pontificiis Constitutionibus firmum, certum, & inconcussum. Sit illud certum, vt asseritur, Pontificem ciuile mundi dominium non habere neque vquam habuisse; quod tamen affirmant plures apud Dianam Parte 1. Tract. 2. Resolut. 122. at ineptè inde concluditur non posse dominium aliquod ab vno in alium, iusta id exigente ratione, transferre. Non habet dominium ciuile terrarum, quas hæreticus Princeps possidet, ergo nequit illud in Catholicum transferre, hæretica est consequentia. Non ergo dat quod suum est, sed quod dare potest, etiam non sit suum. Quemadmodum tutor in donationibus iure probatis, quod suum non est donat; est tamen suum posse donare. Pro quo citatus Scriptor Parte 8. Tractatu 6. Resolut. 17. ex Cardinali Lugo, P. Molina, P. Thoma Sancio, & Tullene videndus, item Resolut. 10. de vxoribus, Resolut. 11. pro maritis, & Resolut. 12. pro Superioribus Regularibus. Neque donatio talis iure vllatenus reprobata: nam præterquam quod omnis humani iuris potestas infra Pontificiam est, nullo humano iure reprobata donatio talis inuenitur; quod scilicet quis alienum donare possit, cum supremus Dominus tali assistit donationi, ad illam præstita facultate. Et hoc est quod consensimus in praesenti, Christum scilicet omnium Dominum talem Vicario suo facultatem contulisse. Quod quidem Pontifex ipse clamat, dum, sicut vidimus, ait: Auctoritate Omnipotentis Dei nobis in Beato Petro concessa, ac Vicariatus Iesu Christi, quo fungimur in terris. Hac certè auctoritate Bonifacius Octauus temporalem potestatem Ecclesiae cum spirituali connexam declarauit: & illi credimus dogma huiusmodi definiti. Ergo & credendum Alexandro, ac Praedecessoribus alijs qui eandem agnoscetes, facto ipso veritate, de qua agimus, declararunt.

9 Libertas profectò talis de hæretica solet præsumptione descendere; vnde solemne hæreticis, donationem dictam Alexandri venenatà linguâ traducere, ansâ inde arreptâ in Sedem Apostolicam iniuriosissimè debacchandi. Ex quibus Philippus Mornæus apud Leonardum Coquæum in Antidoto contra ipsum pag. 306. Ita loquitur: Qui orbem inter Principes partitur, Ferdinando Aragonio & Isabella Castellana Indiam Occidentalem à Columbo circa id tempus detectam donat. Quo iure, nisi quo se ipse autè Principi mundi mancipauit; ei, qui Christum Dominum compellans, Tibi dabo hæc omnia, si prociens adoraueris me. Hic filius ille gehennæ, vt Ecclesiae filij contrario profus spiritu pergant Sedis Apostolicae pronuntiatã legitima venerari. Quo iure rogat ille, & nullum aliud nisi satanicum.

10 Alij errasse quidem Pontificem dicunt, sed solum in facto, quod sæpius accidit, & fieri potest, dum ex minus exactis informationibus, quæ ad factum spectant, aliquid licitum quidem ex se, & iuri conforme decernunt. Vel si informationes fallæ non præcedant, Pontifex ipse ex falso aliquo præsupposito ad factum pertinente, in decernendo procedit: quod praesenti causâ potest applicari. Et hoc, quod alij absolute pronuntiant, sub dubio profert P. Valentia Tomo 3. Disp. 1. quæst. 10. Puncto 7. s. Ad secundum, vbi ait: Alexandrum Sextum, si in eo facto particulari ad Reges illos tantum, & ad illas insulas pertinente, non errauit; solum concessisse illis Regibus jus quoddam superintendentiæ & patroniæ &c. Quem secutus P. Becanus in Summa Theologiae Parte 3. Tract. 1. quæst. 7. n. 12. vbi ita scribit: Alexander Sextus, si concessit Ferdinando dominium illarum insularum, ex eo præcisè quod Gentiles essent, errauit in facto: Si autem solum concessit illi ius patroniæ in easdè insulas, suppositâ earum legitimâ conuersione, bene fecit. Sic ille: cuius resolutioni non est conforme, quod habetur in Indice, verbo Alexander VI. vbi absolute ponitur errasse in facto.

11 Sed neque audiendi Auctores isti: licet enim error in facto possit quandoque contingere; hoc tamen in casu nequit praesenti sustineri, vbi factum à iure nequit separari. Quæstio liquidem est an Pontifex terras infidelium possit Principi Christiano donare. Si potest dum eas tradidit, neque in iure neque in facto errauit. Si non potest; cum ipse tamen se posse testetur, dum Vicariatus Christi auctoritate donationem facit, & talem Beato Petro, ac sibi eius successori concessam asserat potestatem; in iure planè error illius versatur, quia plus sibi potestatis arrogat, quàm res ipsa patitur. Qui discursus est euidentissimus. Cum ergo Auctores dicti non audeant errorem circa jus admittere; consequens est vt neque errorem in facto admittere debeant, nec de illo dubitare. Et modus quidem loquendi duorum, quos nuper adduximus, iudicat ipsos Alexandri Bullam non vidisse, & aliter eâ prospectâ locuturos.

12 Apud Patrem Salas Tractatu de Legibus quæst. 95. Disp. 7. Sect. 4. n. 31. vers. Ad illud dicunt nonnulli Pontificem in praedicta donatione probabilem sententiam secutum: sunt enim Doctores plures, qui Romano Pontifici talem potestatem adscribant, qui videri apud eundem possunt, & duos citatos dudum Auctores, nec non apud Dianam Parte 6. Tract. Resolut. 16. Sed quia sententia affirmans generaliter, infidelitatem esse titulum sufficientem ad debellationem, non ita recepta est, vt videri apud citatos potest: quam tamen de barbaris ac feraliter

Papae confutata, & notata.

Pontifex, etsi dominium ciuile non habeat, transferre illud ab vno in alium potest.

Quinam alij id possunt.

Diana.

Hæretici donationi in sensu Pontificis.

Philippi Mornæi blasphemiam.

Manifestè asserit.

Errasse in facto, & fieri potest, dum ex minus exactis informationibus, quæ ad factum spectant, aliquid licitum quidem ex se, & iuri conforme decernunt. Pontificem, aliquorum asserit.

P. Valentia.

P. Becanus.

Consuetudine illi.

Factum à iure quomodo nequeat separari.

Probabile sententiam secutum Pontificem, aliorum pronuntiat.

efficaciter improbat.